



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 99. Guidonis Pepuli Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. horum Fratrum Discalceatorum Sancti-  
 A. C. 1599. simæ Trinitatis visitaret. Idem quoque  
 Pontifex anno Incarnationis Dominice  
 millesimo sexcentesimo trigesimo sexto  
 eidem concesserat, ut supremum hujus  
 Congregationis Generalem eligere pos-  
 sent, cui tres Provinciæ in Hispania  
 totidemque in Polonia, Germania, &  
 Italia subjiciuntur: illa vero in Provin-  
 cia sita Parisiensis Generalis jurisdic-  
 tioni subest.

## §. XCIX.

*Guidonis Pepuli Cardinalis obitus.*

*Ciacon tom.*  
*4. p. 200.*  
*Ferd. Ugell.*  
*in addit. ad*  
*Ciac.*

**R**egnante Clemente VIII. summo Pon-  
 tifice ex sacro Purpuratorum Colle-  
 gio præter Andream Bathorium, de  
 cujus infausta morte jam supra mentio-  
 nem fecimus, nonnisi tres hoc anno vi-  
 tam cum Purpura exuerunt. Hos in-  
 ter primus erat Guido patria Bononi-  
 sis ex pervetusta Pepulorum Comitum  
 familia ortus, qui anno Domini mille-  
 simo quingentesimo sexagesimo die ve-  
 gesima sexta Aprilis natus pietatem cum  
 literis tam liberaliter hauserat, ut dein-  
 cum sacram, profanamque jurispru-  
 dentiam Senis edoctus fuisset, a Grego-  
 rio XIII. summo Pontifice utriusque,  
 ut vocant, Signaturæ Referendarius,  
 nec non Protonotarius Apostolicus, ac  
 demum Apostolicæ Cameræ Clericus  
 renun-

Sæcul.XVI.  
A.C. 1599.

renuntiaretur, in quibus officiis tanta elucebat prudentia, ut a Sixto V. Cardinalis Diaconus Titulo SS. Cosmæ, & Damiani, & postea a Clemente VIII. Presbyter Cardinalis eligeretur, ad titulum sancti Petri in monte aureo vocatus. Eminuit præprimis animi magnitudine, Religione in Deum, obsequio in amicos, in omnes benignitate, tantaque vitæ modestia, morum honestate, ac castimonia conspicuum sese reddidit, ut dubium relinqueret, an non majori splendore Romanam honestarit purpuram, quam ab ea decoratus fuerit. Interfuit comitiis, in quibus Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & Clemens VIII. ad Pontificii honoris apicem evecti sunt. Vixit nonnisi triginta octo annos, novemque Menses, nimis præmatura morte Romæ ad sanctam Agatham prope Quirinalem montem die decima quinta Januarii sublatus, cui in grati animi memoriam ejus Domestici in Ecclesia sancti Blasii, ubi sepultus est, honorificum monumentum posuere.

§. C.

*Sylvii Sabelli Cardinalis mors.*

Alter erat Sylvius Patre Camillo Sabello Aricizæ Principe, & Matre Isabella Ursina anno a Virginis partu millesimo quingentesimo quinquagesimo Romæ

Ciac. l. c.  
p. 287.  
Maphæ in  
vit. Greg.  
XIII.